



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Epistola XV. Alexandri Papae III. Ad Thomam Archiepiscopvm
Cantvariensem. Sententiam contra Anglicanas consuetudines & eorum
defensores latam confirmat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

eamdem hæresim damnatam inciderit, communicando cum Reginaldo Colonensi schismatico, machinando etiam & fabricando omnia mala cum schismaticis & Teutonicis illis in perniciem Dei & ecclesiæ, & præsertim ecclesiæ Romanæ, ex pactis contractis inter dominum regem & ipsos.

^{* de Ba-}
^{hol. Reges-}
^{rum.}

Excommunicauimus etiam Richardum de Luci, & Iocelinum de * Baillis, qui prauitatum illarum autores & fabricatores extiterunt: Ranulphum etiam de Broc, qui bona ecclesiæ Cantuariensis, quæ alimenta de iure sunt pauperum, occupauit & detinet, hominesque nostros tam ecclesiasticos quam laicos cepit, & in captione tenet. Hugonem quoque de sancto Claro, & Thomam filium Bernardi, qui eiusdem quoque ecclesiæ Cantuariensis bona & possessiones absque nostra connuentia occupauerunt, & tenent: omnesque etiam qui de cetero in possessiones & bona ecclesiæ Cantuariensis contra voluntatem nostram & consensum manus violentas extendent, eadem excommunicationis sententia innodauimus.

EPISTOLA XV.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM ARCHIEPISCOPO V

CANTVARIENSEM.

Sententiam contra Anglicanas consuetudines & eorum defensores latam confirmat.

Alexander seruus servorum Dei dilecto fratri Cantuariensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

Ex literis tuis iam pridem & certa multorum relatione cognouimus, quod tu in Iocelinum Sarisberensem episcopum, quoniam tibi inobediens fuit, interdicti sententiam protulisti. Ipse vero licet super hoc ad nostram audientiam appellas, & dominicam, qua cantatur Ego sum pastor bonus, proxime tunc venturam appellationi suæ terminum præfixisset, eodem instante nec venit, nec ad nos aliquem pro se responsalem transmisit. Quocirca nos eum in contumacia & rebellione sua contra te fouere nolentes, sententiam quam in eum propter hoc tuleris,

Concil. Tom. 27.

K k ij

260 ALEXANDRI PAPÆ III.

auctore Domino , ratam & firmam habebimus , & totam causam eius tuæ discretionis arbitrio duximus relinquentem : quod inde canonice feceris , ratum , cessante appellationis obstaculo , habituri .

EPISTOLA XVI.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD EVMDEM.

De consuetudinibus Anglicanis a se confirmari petitis.

Alexander episcopus Cantuariensis archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

Novit industria tua , quam feruentem dispositionem circa regni sui gubernationem carissimus in Christo filius noster Henricus , illustris rex Anglorum impendat , & eamdem ut firmior habeatur , vult auctoritate Romanæ ecclesiæ roborari , petens ut antiquas regni sui consuetudines , & dignitates conseruemus illæfas . Item cum legationis officium totius Angliae postulasset instantius , Eboracensi archiepiscopo indulgeri , pensantes tempora periculosa , legationis literas præfato archiepiscopo concedendas eidem regi concessimus , licet antequam inclinaremur ad consensum , nuntii eius nobis in verbo veritatis promiserunt , & super hoc iuramentum obtulerunt , quod nunquam sine voluntate vestra literæ Eboracensi archiepiscopo redderentur .

EPISTOLA XVII.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD OMNES EPISCOPOS ANGLIAE.

Eiusdem argumenti.

Alexander seruus seruorum Dei omnibus episcopis Angliae salutem & apostolicam benedictionem.

QVAM QVAM ex iniuncto nobis officio , de vniuersorum iure in sua integritate seruando , curam tenemur & solitudinem gerere , ad illorum iusticias , qui in parte solitudinis nobis commissaæ a Domino sunt voca-